

dixit: precipiendo precipimus et mandamus, quatenus omnes [a], omni mora postposita, cum pueris et puellis, senes cum junioribus, prope eos ad duo miliaria, cum tendis et papilionibus castrametatis [b], et sitis summo diluculo [c] omnes ad pugnam parati. Vobiscum more majorum vestrorum [d], Deo annuente, victoriam obtinebimus [e], et dissece. [f] mane facto [g] suus dicebatur nepos, propriis manibus vexilla sumpserunt, et ad locum, ubi cives castrametati aderant, applicuerunt velociter [h], Faventinos omnes, per turmas divisos et sub propriis vexillis redactos, invenerunt. Tunc Comes [i], qui animo Caesar erat, forma Paris et actibus Hector, Tullius eloquio, consiliis Cato, exhilarans faciem, [sublimis equo volans agmina circum] et cunctorum animos ad praelia firmans, ait: Attingimini, viri potentes, et fortes estote, et pugnate viriliter, ad vestram reducentes memoriam quanta mala vestris Ravennates semper intulerunt majoribus; quod praelium non est, ut videtis, declinare ab eis ad dexteram vel ad sinistram, sed, sicut vobis fecerunt, ita hodie remunerabuntur a nobis. Accidit autem, quod quidam de Ravennatibus magnam speculaturus ascenderet arborem [k]. Vidit Faventinos omnes per turmas divisos, et exclamans ait: Faventinos video, nos sectando [l] sponte se offerunt, et victoriam nobis promittunt. Ravennates vero cupientes cives aggredi, Comes audax cum suis militibus in medios se proripuit hostes [m], et Faventini simul cum eis, in loco ab inde Campo de Contra vocato, viriliter aggressi sunt, eos prosternendo, capiendo, vulnerando et interficiendo; et usque villam Russii [n] Ravennates [m] sunt passi repulsam. Praedam inde ducentes non medicam, multi onerati [n] armis, vexillis atque aliis spoliis, revertuntur cives cum Comite, plena usi victoria, cum laudibus et canticis. Et die sequenti, consilium ad petitionem Comitis fecerunt [o] volentis, quod [p] promissum ei fuerat, ut adimpleretur. Responderunt omnes [q]: quod promissum fuit cum

[a] quatenus omnes. C. V., quatinus; et sic porro C. M. — [b] et papilionibus castrametatis. Sic C. M., sed novo caractere corruptus. In C. V., castramentatis, sed item vitiose. C. A. habet castramentis. Legerem ego potius, vel castrametamini vel castrametati. — [c] et sitis summo diluculo. Sic lego in C. M. — [d] more majorum vestrorum, Codd. M. et V.; nostrorum, C. A., quod magis arridet. — [e] victoria obtinebimus. In C. M., victoriam optinebimus. — [f] et d. . . . C. M. hic legi haud potest. C. V. habet dixerunt; C. A., diluere. Cl. vero Mitt. legit: disserunt. An legendum diligenter? — [g] mane facto. . . . Hic integra fere linea omisa est in C. M. Desideratur etiam in aliis codicibus. Hinc videtur Cod. M. non esse autographus, sed amanuensis opera exscriptus, qui cum ad ea, quae non potuit ipse legere, pervenit, modo vitiose transcripsit, modo etiam praeteriit, lacunis relictis. Non mirum si saepe sensus claudicet. Codices vero V. et A., cum iisdem defectibus laborent, exempla videntur esse ex C. M. deducta. — [h] applicuerunt velociter, Codd. M. et V.; applicaverunt. — [i] Tunc Comes, C. V. In C. M., sed aliena manu corrupto, est: et Comes. — [j] ascenderet arborem, C. M. Vide similem formulam in cap. LXXIV, in quo habetur ascenderet. In C. V., ascenderat. — [k] nos sectando, C. M. In C. V., sequentes. — [l] se proripuit hostes, C. A. — [m] Ravennates. Sic forte C. M., antequam interpolator eum corrumperet, substituendo vitiose, Faventini. — [n] Multi onerati, C. M., ex lectione cl. Mitt. In C. V. multi onerantur. Pro multi, C. A. habet milites. — [o] Comitis fecerunt. Sic. C. V.; sed deest fecerunt in C. M., et fortasse aliquid aliud. — [p] volentis, quod. C. M., volens quod. Item C. V., volens quod Sed, nisi aliquid ab amanuensi hic fuerit omisum, legi oportet volentis, ut grammaticalis sintaxis servetur. — [q] Responderunt omnes. Sic lego in Codd. V. et M.; dixerunt, alii.

[A] usque villam Russii, sic C. M. Villa antiquitus dicebatur; nunc castrum est. Distat ab urbe Faventia novem miliaris, mediumque fere tenet inter Faventiam et Ravennam.

Thurnish * 2^a: Favent. et o^{sta} Rava. agrediendo prosternunt et capiendo vulnerando et interficiendo et usque villam Russii Rava. sunt passi repulsam.